

ribus quidem annis, prope a juventute tua, quando nimirum Ecclesiæ servitio Te infaticabiliter dedicasti. Laudant Civitates Lauretana, Anconitana, & Centumcellarum, quæ Te Gubernatorem habuisse gloriantur; laudat Urbini Ditio, ubi vices a Latere Legati gessisti, & Provinciæ Umbriæ, ac Sancti Petri patrimonii, quæ Te integerrimum habuisse moderatorem prædicant; Laudat Anconitana provincia, in qua Apostolici Visitatoris partes gerens, munus quidem arduum, magna Tui nominis commendatione, supra invidiam implevisti. In Urbe vero laudant Congregatio, quæ dicitur Sacræ Consultationis, & Signaturæ Gratiæ Tribunal, quarum prima Ponentem, ut ajunt, altera vero Votantem per aliquot annos se habuisse, non sine admiratione & gaudio recordantur.

Apostolici deinde principatus Legationes gerens, primum Lusitaniæ Regnum extra ordinem Nuncium Te recepit; quando scilicet ad regiam Prolem salutandam eique benedictas Fasces adferendum *Clemens Undecimus* Te demandavit. Postmodum Pontifice eodem, vere Sanctissimo ac doctissimo disponente, Helvetiæ Respublica ordinarium Nuncium Te habuit, ubi desiderium Tui adeo vividum reliquisti, ut etiamnum prudentiæ, probitatis, ad doctrinæ tuæ Populi cuncti, qui intra fines illos continentur, tam qui sunt a Romana Ecclesia extorres, quam qui eidem arctissime devinciuntur, omni tempore recordentur. Postremo præfatum Lusitaniæ Regnum ordinarium Nuncium ita Te suspexit, ut non post multum temporis Te amississe tristaretur; quando scilicet Urbs Sancta ad se Te remeasse gavisa est, eaque lætitiæ accessione ac honoris tui incremento, ut & Atellæ Episcopum & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem amplissimum Te receperit. Dignam sane absentiae tuæ usuram, qua post tot annorum labores, post dilatam capiti tuo coronam, post pluries visam, at semper suspensam certaminis tui lauream, denique Te Purpura redimitum jucundissime aspexit.

Qui fuerint Urbis plausus, quæ Ecclesiæ gratulationes, quæ denique proborum omnium, doctorumque ho-

minum